

tistae, ut fucum aliis consonantiae doctrinae faciant. Et mox, ubi quaedam adversus CONR. & JOH. BERGIVM monuit, qui communicationem in meram unionem mutabant, ita pergit: *Longe aliter Damascenus e mente veteris Ecclesiae describit communicationem hujus generis, (nempe majestatice) qua divina natura suas excellentias humanae μεταθέσει, communicet ac distribuat, ipsa vero infirmitatum carnis maneat ἀμέτοχος, ubi nemo non videt, communicationem intelligi, quae diversa sit ab unione, licet proficiatur ab unione.* Aliud quippe est ἐνώσις naturarum, aliud μεταθέσεις praerogativarum divinarum: Illa habet se, ut antecedens, haec ut consequens; illa nudam conjunctionem, haec communicationem, distributionem, concessionem ac donationem aliquam infert; Illa mutua est & reciproca, haec non item. Tract. de Persona Christi. p. 297. Unde Ecclesiae nostrae sententia haec tribui non potest, quod doceat, communicationem idiomatum esse eorum conjunctionem seu unionem, sed illam potius, si vera & cumprimis personalis est, effectum aliquem collativum & participativum constituit, qui ex unione, tanquam sua causa & antecedente, immediate resultet. Libelli Synoptici hac de re pleni sunt. Vnus HAFENREFFERVS, *Theologus Tubingensis*, subacto judicio praeditus, loco omnium, edisserat negotium. Ad quaestionem: *Quomodo Idiomatum communicatio ab unione personali differat?* respondet: *Vnio personalis & communicatio Idiomatum, ut prius a posteriori, differunt. Nam unionis naturae ordine prior est, non tempore; & ab illa Communicatio Idiomatum, quae ordinis ratione posterior est, tanquam effectus dependet.* L. L. Theol. L. III. p. 268.

§. VII. Notamus III. Sententiam doctrinae Ecclesiae nostrae conformem sic esse non posse, si quis doceat, *Communicationem Idiomatum in Christo NIHIL ALIVD esse, quam meram ἐνώσιν, συνδύσειν, junctionem & combinationem seu copulationem, uti naturarum, ita etiam proprietatum, ex ea causa, quoniam dicitur a nostratis, communicationem fieri per συνδύσειν.*

F 3

Nam